

Urgeat, & curas poscant incerta supernas  
 Fata hominum, Divos huc æthere cogit ab omni,  
 Conciliu[m]que Deum hic celebrat: nec flectitur orbis  
 Interea celer adsueta vertigine; at ipsam  
 Hæc humilem propior terram pars despicit una.  
 Nec cultum mirere loci, qui numina tanta  
 Excipiat, summi majestatemque Tonantis.  
 At subitum adsueto majus jubar emicat, ipse  
 Cum tanto Divum coetu comitatus ab alto  
 Advenit, ingrediturque locum Regnator olympi.  
 Nunc tamen & solito longe magis omnia fulgent,  
 Pompaque nobilior, Divumque frequentia major  
 Cernitur: ipse Deos jussit pater esse frequentes,  
 Ac magnum celebrare diem, quo fata recludat  
 Grandia, & æternos demum expleat orsa per annos.  
 Adriacis Regina potens exsurgit ab undis  
 Urbs opibus pollens, & nobilitate vetusta,  
 Neptuni fabricata manu, Neptunia sedes.  
 Illam & libertas primo sibi legit ab ortu  
 Instabilem fixura pedem, æternosque per annos  
 Servatura locum, ac terris magis omnibus unam  
 Excoluit. Meritis tantam quid laudibus urbem  
 Persequar? Heroum populus nutritur ibidem,  
 Et quotquot numerat conscriptos Curia Patres,  
 Tot numerat summo dignissima Numina olymbo.  
 Mirantes tuimur, petimusque exempla secuti  
 Cœlicolæ, Venetum sapientia tanta Senatum  
 Adtollit cœlo, & Dis immortalibus æquat.  
 Interea Soboles crescit numerosa futuri  
 Spes ævi, & patriæ columen, quæ possit avosque,  
 Et magnaos æquare patres, seriemque nepotum  
 His dignam, atque illis omnes transmittat in annos.  
 De genere hoc quantus vernanti floret in ævo  
 Corarides juvenis! non illo insignior alter